

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0852
	0850
	0856
	0846
279	
reversus est Jerusalem caesis et amissis ex suis non paucis. Fiunt haec nota Romano Pontifici Eugenio III., qui viros reli- giosos ad diversas occidentis partes direxit ad denuntiandum Christianorum orientalium pressuras, inter quos vir immortalis memoriae beatus Bernhardus abbas ad execrationem eligitur, qui tanto fervore praedicavit, ut tam nobilium quam plebis favor gratuitis exhortationibus ejus spontaneum praeberet as- sensum et iter versus Jerusalem compromiserunt. Illustres praeterea viri, dominus Couradus II., genere Suevus, Romano- rum imperator, et dominus Ludovicus, rex Francorum, cum multis utriusque populi principibus iter in orientem arripiunt, erantque gravissimi exercitus. Unde in imperatoris exercitu solo erant equitum loricatorum ad septuaginta millia, absque peditum copiis, quorum non minor numerus fuerat in comitatu regis Francorum Ludovici. Quibus si fuisse propitia Domini gratia, non solum Soldanum Iconii et Asiae minoris, qui po- tentissimus erat, verum universas orientis provincias nomini christiano faciliter subjugassent. Sed eorum occulto divino judi- cio sprevit famulatum Deus nec acceptum habuit munus, quod indignis fortasse manibus offerebatur. Unde Dominus tradidit eos in manus infidelium Turcorum et Sarracenorum, et vexati in via ab eis, prostrati, imminuti, cum multa infelicitate venerunt Jerosolymam. Convenientes igitur in unum tres isti potentissimi, imperator Romanorum Couradus, rex Franciae Ludovicus et rex Jerusalem Balduinus II., universi eorum principes, comites, barones et milites tractare coeperunt, quod optimum et magis expediens videretur ad christiani no- minis gloriam et regni Jerosolymitani incrementum. Sed nec huic consilio favor divinae miserationis affuit, unde a Damasco civitate, quam capere conabantur, cum ignominia magna re- cesserunt, et reversi Jerosolymam Ascalonem obsidere deli- berabant, sed post multa verba ille etiam conceptus abortum passus est. Videntes autem, imperator scilicet et Franciae rex, Dominum non esse cum eis, parato navigio ad propria rediere. Ab ea igitur die coepit Latinorum orientalium mani- feste deterior fieri conditio. Nam quorum sola nomina prius hostibus fidei erant formidini, (278 A) et nunc provinciam tantorum principum sine damno despicerant, unde in tantam	0861 0841 0901 0801 0951 0751 0351 Ende Anfang